

Decernebat enim, ut veteribus <legibus>, tantum modo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est postulante nescio quo.

Sensus hic in obscuritate est; illud enim in proposito habet Tullius docere ab senatu nihil contra Milonem statutum et primo quidem ita conceptam fuisse sententiam, ut de illa caede veteribus legibus extra ordinem quaereretur, sed e diverso extitisse alium, qui contradiceret — sive Fufium Calenum sive alius ille fuerit, videbimus — postularetque, ut sententiae divisio fieret. Hoc autem solebat accidere, cum videbatur aliquis per saturam de multis rebus unam sententiam dixisse; et habebat nonnumquam conexio huiusmodi rerum multarum fraudulentas captiones, ut rebus aequis res improbae miscerentur atque ita blandimentis quibusdam obreperent ad optinenda ea, quae si per se singulariter proponerentur, displicere deberent. Desiderabatur itaque, ut fieret sententiae divisio, hoc est, ut de singulis, non de pluribus una sententia diceretur. Et illa ergo sententia, quae <de> causa Milonis ferebatur, quasi non erat simplex; nam duo complectebatur: ut et veteribus legibus et extra ordinem quaereretur. Huic sententiae dicit M. Tullius intercessum atque ita factum, ut extra ordinem quidem quaereretur, non tamen vetusta, sed nova lege Pompeia. Pro Milone autem obnixe laborasse Q. Hortensius videbatur.